

fallacia Compositionis & Divisionis, vid. c. 3. pag. 58. Cl. Stablius Sophist. p. 37.

2. O. *Nomen est vox:*

Socrates est nomen:

E. *Socrates est vox.*

Resp. Si vox *Socrates* utrobiq; sumitur *materialiter*, Syllogismus bonus ac verus est.

Circa modum FERIO.

1. *Quicumq; vident, non sunt cæci:*

Cæci vident, Matth. ii. v. 5.

E. *Cæci non sunt cæci.*

Resp. Vox *cæci* in majore habet *statum*, in minore verò *ampliationem*, adeoq; sunt *quatuor termini*.

2. *Nullum dextrum est sinistrum:*

Alicujus hominis manus est dextra:

E. *Alicujus hominis manus non est sinistra.*

Resp. Minor *formaliter* non est *particularis*, sed *indefinita*, quum signum *particulare* in *subjecto* non *casui directo*, sed *obliquo* addatur, *Æquipollet* igitur *materialiter* *particulari*, nempe huic: *Hominis aliqua manus est dextra*. E. ita debet concludi: *hominis aliqua manus non est sinistra*.

P 2

Ad